

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4085

**Auteur(s) :** Jean, Beaumont (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Henri, Grandpré (comte)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1217, août

**Lieu d'émission :** Compiègne

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Acte de Jean, comte de Beaumont, concernant les terres d'Henri, comte de Grandpré.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1117, p. 302-303.

Texte établi d'après a

Ego Johannes, comes Bellimontis, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis quod Henricus, comes Grandis prati, michi quitat omnes exitus et proventus quos ego vel mandatum meum levavimus anno nuper preterito usque ad diem presentem de terra Rareii, Conflans et Parisius, et de escheesta que nobis evenit de domino Guillelmo de Gallanda. Ego autem comes Bellimontis volo et concedo quod dictus comes Grandis prati habeat omnes redditus et exitus, tam in blado quam in vino et aliis omnibus, hujus anni de tercio eschaete de domino Guillelmo de Gallanda et de tercio unde tenens erat quando dominus Guillelmus de Gallanda decessit. De partitione autem inter me et dictum comitem Grandis prati et Guidonem, buticularium, facienda de eschaeta de domino Guillelmo de Gallanda, taliter pronunciatum est per judicium curie domini regis: quod nos tres, ego scilicet Johannes comes Bellimontis, et Henricus comes Grandis prati, et Guido buticularius, reportabimus in commune quicquid habuimus in maritagio, sive in mobilibus sive non mobilibus, et quilibet nostrum pro portione sua habebit tercium de omnibus rebus, tam in feodo quam domanio, ita tamen quod ego comes Bellimontis, qui habeo uxorem majorem natu, in portione mea habebo melius herbergagium cum fortericia, ubicumque sit, sive in Francia sive in Normannia. Dictus vero comes Grandis prati, qui habet secundam natu, habebit melius herbergagium post illud similiter cum fortericia. Predictus autem Guido buticularius, qui habet terciam, habebit melius herbergagium post illa duo similiter cum fortericia. Reliqua vero herbergagia venient in comunem partitionem cum aliis rebus, sicut predictum est. Actum Compendii, anno Domini M° CC° XVII°, mense augusto.